

16318.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA

EXHIBENS:

MELETEMATA QUAEDAM
GENERALIA IN PATHOLO-
GIAM,

QUAM,

ANNUENTE AMPLISSIMO MEDICORUM ORDINE

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,

PRO GRADU DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME CAPESENDO,

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET


AUTOR:

FRIDERICUS AUG. STÜRMER,
ESTHONUS.

DORPATI,

LITERIS J. C. SCHÜNMANNI.

MDCCCXIV.



I m p r i m a t u r,

ea quidem sub conditione, ut simulac dissertatio haec typis excusa sit et antequam divulgetur, septem exemplaria, quae secundum jussum altiorem distribuenda sunt, administrationi Universitatis, cui censura librorum mandata est, tradantur.

Dorpati.

Calendis Aprilis MDCCCXIV.

Daniel Georgius Balk,

Medicinae et chirurgiae Doctor, Pathologiae, Semiotices et
Therapiae Professor publicus ordinarius, Instituti medico-
clinici, instituti, quod, asphycticorum curam gerit, nec
non collectionis pathologicae Director, a Consiliis

Collegiorum Russicis etc.

Censor.

D 176 26

Instituti ratio.

Quadriennio et quod excurrit in addiscendis utriusque medicinae doctrinis peracto, in mentem mihi venit quaestio academiam mox relicturo gravissima, quam pro dissertatione inaugurali elaboranda materiam eligerem, nec ne? Tantum enim aberat, ut consilium hac de re promptum cepissem, quin potius longe lateque haesitassem. Nec aliis, quibus officio fungi eodem leges academicae jubent, selectum objectorum scribendi minus difficilem fore non dubito, cum materia vix ulla reperitur, de qua non ingens autorum eorumque saepe clarissimorum numerus jam disseruisset, ita ut, si talem eligeres, crambem centies coctam iterum recoquere tibi ipsi videreris. Qua de veritate quilibet, si non convictus esset, repletorium evolvat quaeso cl. Plonquet (a),

(a) Initia bibliothecae medico-practicae et chirurgicae realis. Tubing. 1793, squ.

quod viro doctissimo nomine „initiorum bibliothecae medico-chirurgicae“ modesto insignire non displicuit, et de librorum et dissertationum copia, quae de objecto scientiae nostrae qualicunque exstant, certe mirabitur. Nova autem, forma saltem sua ac ulteriori et ingeniosiorique indagazione candida praeferre, juvenis non est, qui, curriculo vix absoluto studiorum, omnes dierum horas implentium, nec multa videndi et experiendi, nec legendi, occasionem nactus est. Quare tandem decrevi meletenata quaedam in pathologiam generalem edere, quippe quae unacum therapia generali jacta artis medicae fundamenta rationalia amplectitur et faciem medico praefert in tenebris, quas nosologiae omnes sic dictae methodicae therapiaeque specialis doctrinae non raro valde incertae dilucidare nequeunt.

Epitome factorum pathologiae
historica.

Cum principis, quae pathologia cujusvis aevi servavit, therapiae semper respondebat facies, objectum, de quo agimus, utilitatis aliquid ex eo capiet, si doctrinae prioris originem atque fata brevi, quantum modo fieri potest, expositione lectoribus repetitis. Qui primus pathologiam condidit, creatorem ejus potius illum dixissem, Causa fuit, medicinae totius fundamenta, omni auxilio destitutus alieno, ingenio naturae prodissensque jacens.

Judaeorum enim Indorumque veterum pathologia antiquissima, quorum alteri daemones, alteri vermibus solum, vertigini, humoribus foedis, et decem denique ventibus in arteriis venisque corporis humani directione adversa stantibus, morborum omnium ortum tribuerunt (a), ita est superstitiosa atque manca;

(a) Joan. Heyr. Schulz. Histor. medicin. Lips. 4. tab. aen. pag. 55.

ut doctrinae nomine digna non habeatur. Ratione non absimili ducti, nec Anaxagorae Clazomenidi (b) honorem concedimus, de pathologia condenda bene meritum fuisse, cum modo bilem morborum acutorum omnium causam accusat, reliquorum vero, quae ad pathogeniam spectant, mentionem nullam fecit. Neque minus Sinensium medicinae huc referri meretur, cum affectus corporis humani non nisi e flatibus esse derivandos illis visum est (c). Ad principem dicitur medicorum, Hippocratem, redeamus. Pathologia viri celeberrimi iis potissimum virtutibus eminet; ut Cnidorum contra methodum morbos non in genera vix numerabilia cum speciebus dispescuerit, sed causarum potius, quae phaenomena edunt, differentias essentielles diligenter respexerit; ut causas hasce e notionibus a priori fictis eruere denegaverit religiose, et phaenomenorum potius evidentissimorum, nec fallentium face in indagandis illis usus fuerit; ut causarum proximarum in morbis plerumque absconditarum rationem provide non habens, remotis rite perscrutandis omnem

(b) Aristoteles de partib. animal. Lib. IV. cap. 2.

(c) Cléyer Specimen medicinae Sinicae etc. Frest. 1682. 4.

dederit operam; ut symptomata, quae passiva dicuntur, ab activis discernenda esse docuerit egregie; ut primus stadia eruditatis, coctionis criseosque, in rite dijudicandis morborum decursu et curatione admodum memorabilia, notis depinxit characteristicis, cui etiam dierum criticorum notionem debemus; ut signorum et habitus corporis depromptorum dignitatem ingeniose et juste aestimaverit. In explicandis morborum phaenomenis et genesi tum respectu dynamicò, tum chaemico utitur, a vanae insuper speculationis prurigne abhorrens. Scripta quibus fragmenta sua complectuntur pathologica sunt: Libri „de acibus, aquis et locis“ — „de capitis vulneribus“ — „aphorismorum“ potissimum Sectio I, II, III, et VI; etsi sectiones ceterae etiam huc referendae sunt — „de diaeta in acutis.“ — De scriptis medici Coaci genuinis ea modo; quae ad rem faciunt nostram, memoravimus in omnibus, adulteratis et aliis quibuscumque suppositis, ab auctoribus, cum ex illis, quanta fuit qualisve Hippocratis de rebus pathologicis sententia, cognosci nequit. b 2919

Platonis, etsi ingenium philosophicum huius viri miramur, opiniones de morborum ge-

nisi referre oportet vix esset pretium, nisi principia scholae dogmaticae hac sine notitia intelligi non possent. Quil magni etiam in medicina vera et utili ab autem esset sperandum, qui, imaginatione luxuriante praeditus, ad minus potius magis, quam strenui naturae scrutatoris, natus esse videtur. Pathologiae humoralis ad dictus abnormem elementorum corporis mixtionem in universum, speciatim vero bilis atrae et flavae corruptionem et degenerationem seri acidam aut muriaticam, corruptionemque medullae, ossium causas morborum praecipuas accusat. Theoria Platonis de februm typo, etsi hypothesis suae pro lubitu fictae de morbosa elementorum relatione inter se superstruxerit illam, ad tempora usque recentiora medicis placuit. (d)

Erasisstratus, Keoides, aspreta Herophili, coetanei sui, theoria de mutationibus humorum, omnem potius morborum causam tum in liquidi organo, tum in aerei aberratione in loca aliena positam esse contendit. Notiones ejus de affinitate februm cum inflammationibus,

(d) Vid. librum Platonis, qui inscribitur „Timaeus“, de natura, pag. 497 sqq.

de pneumoniae atque pleuritidis sede, de varia haemorrhagarum genesi eadem sunt, quae in compendiis pathologiae hodiernae leguntur. (e) Asolepiades, Bithynus, etsi fama sua insignis, quam tum in Graecia, tum Romae comparaverat, non fuit nisi agyrta superioris ordinis, quem ab omni anatomes destitutum fuisse notitia jure omni, ni fallimur, fatetur Galenus. Sententias sprevit medicorum omnium, ne Hippocrate quidem excepto, cuius insuper methodum — motus naturae in morbis observandi atque arte imitandi — contempit „Studium mortis“ (θανάτου μελέτην) objurgavit (f). Systema suum, quod condidit, novum Philosophiae veterum, quam corpusculam vocant, superstructum et a theoria hodierna atomistici corporum non valde fuit alienum. Corpora haec elementaria, e quibus omnes organismi

(e) Galenus in libris — „de atra bile“ — „de venae sectione adversus Erasistratum“ — „Comment. II. in Hippocr. libr. de natura hominis“ — „de locis affectis“ — Coelius Aurelianus de morb. acut. et chronic. recens. Amman. Amstell. 1755. morb. acutor. libr. II. cap. 16. morb. chronicor. libr. II. cap. 19.

(f) Galen. de venae sect. advers. Erasistr. pag. 3.

partes constitutas esse credit; τὸ λεπτομερές πο-
minat. Neque haec quidem ova erant, quae
potius in doctrinis scholae Eleaticae; cuius
fundatores Democritum, Abderitam, cum
Leucippō habemus, jam leguntur. Patholo-
gia humorum omnino rejecta Asclepiades mor-
borum causas in forma solum et mixtione ad-
versa corpusculorum elementariorum, nec non
in relatione illorum inimica ad poros et spatia
corporis vacua, ponendas esse existimavit. Qua
etiam ex relatione ne mutationes, quae in mor-
borum decursu observantur, dijudicare laborat.
Tali fretus hypothese vanā motus naturae ad
crisiū salutare diesque criticos ipsos non esse
nisi aegri somnia delirat; (g) imo tanta est sui
ipsius admiratio, ut omnem medelae gloriam
medico tantum, naturae vix ullam tribuat, quam
non minus saepe nocere, ac prodesse contēdit.
(h). Attamen sibi iterum contradicit, cum
se febre ipsa praecipue ad remedium uti profes-
sus est, (i) Ne vero censors nimis strenui ac

(g) Galen, de crisib. lib. III; Coel. Aurelian. de
morb. acut. lib. I. cap. 14.

(h) Coel. Aurelian. l. c.

(i) Celsus de medicina curant. Almelovén. Basil.
1748 Lib. III. cap. IV.

injusti, quae jure illi debent, laudes detrectemus;
mōnendū videtur, ut primus fuerit, qui diffe-
rentiam morborum acutorum a chronicis stabili-
vit. (k) Tertianae intermittētis duplicis, quae
Romae tunc temporis grassabatur, mentionem
fecit (l); spasmos iam in tonicos, clonicos atque
tremores dispescuit (m); hydropem acutum fe-
brilem a chronico differre docuit (n); denique
de luxatione ossis femoris spontanea observata
edidit memōrabilia. (o)

Sequatur Coelius Aurelianus, Afer;
scholae methodicae assecla, cujus libro jam an-
tea citato notionem debemus, quae de doctrinis
hujus scholae nobis servata est. Inter omnes ille
diagnosin morborum singularium optime adum-
bravit, atque motus naturae criticos et salutare
a symptomatiscis egregie distinxit. Illius enim
opera nihil aliud vere sunt, quam utile naturae
signorum diagnosticorum graviumque praecip-

(k) Coel. Aurelian. de morbi chronic. lib. III. cap. 8.

(l) Eiusd. de acut. lib. II. cap. 10.

(m) Ibid. lib. III. cap. 7.

(n) Coel. Aurelian. de morbi chronic. lib. III. cap. 8.

(o) Graecor. chirurgici libri e collectione Nicetae.
Edid. Cochiūs Florent. 1751. Fol. pag. 154.

torum compendium. Historias morborum saepe tam fideliter describit, quam ullus unquam auctor post Hippocratem fecerit, excepto Sydenhamio, qui — ut Baglivi verbi utemur — ab Aureliano tractandorum describendorumque morborum methodum videtur desumpsisse. In pathologia, qua sectam methodicorum strictissime secutus est, vitia magis totius organismi, quam partium singularium respicit. De stricto et laxo solidorum originem morborum omnium esse potendam, cum methodicis illi arridet. Cum verò hae partium solidarum conditiones rarisensibus sunt adprehensibiles, necessarium visum est scholae methodicae, habere, e quibus ad statum organorum in imo corporis sententium concludere posset, phaenomena externa. Cum autem negari non potest, ut excreta conditiones organorum miscentium et secermentium normales abnormesve optime nuntient, ex imminuta excrendorum copia ad strictum morbosum concluderunt, laxum e contra adesse auspicarunt, si quantitate excedente, seducebantur. Sic methodici causas morborum topicas in auxilium etiam vocarunt, quibus tum in explicandis morbis chirurgicis, tum in curandis potissimum utebantur, quasque in externas et internas dispen-

cuerunt: Illarum sub classe corpora peregrina organismum intrantia, harum vero sub genere structuram, situm, magnitudinem directionemve morbosam organi cujusvis singularis, quin perfectam ejus absentiam subsumerant. Notio consensus partium denique methodicis non fuit ignota. (p) Quae omnia, si cum principiis pathologiae recentiorum comparare velimus, mutatis verbis atque terminis technicis, doctrinis nostratum praesertim illorum, quos vernacula „Solidarpathologen, Nervenpathologen“ vocare consuevimus, non valde sunt absinthia.

Progredimur ad Aretaeum, Cappadocium, (q), tempore uno eodemque cum Archigene viventem. Discipulum habemus illum scholae pneumaticae, hujus tamen principiis methodum eclecticam jungentem. Tres illi sunt formae materiae, quae corpus humanum constituit: forma nimirum fluida, solida et pneumatica. Pneumatis e conditione abnormi natura omnium fere

(p) Soranus apud Oribasium. Collect. medic. Lib. XXIV. cap. 31. pag. 868. Coel. Aret. de acut. Lib. I. cap. 4. pag. 17.

(q) Aretaeus de morb. acut. et diuturn. Lib. VIII. Argenter. 1768. Confer. Haller. Art. medic. principes.

patet morborum. Quod si crassum sit humidumque, lien emphraxi afficiatur; si justo nimis tenue, oriatur vertigo, aut epilepsia; si siccum nimis, incendatur phrenesis; si frigidum et torpidum, dirae intestinorum morbi iidemque pertinentes. Quae si forte tibi displicerent notiones, placebunt morborum imagines diligenti auctoris calamo depictae, quorum quisque omni sine dubio ab illo re vera strenue observatus est, quorumque phaenomenorum singularium memorabilium respectum habuit ingeniosum. Cuilibet historiae morbi descriptionem brevem praemitit organi adfecti, quae notiones anatomicas aëvo suo perquam rariores demonstrat. Praecipue vero ubique motus virium naturae, conditionem corporis, deviationes constitutionis annuae et vim climatis in dijudicatione morborum tum pathologica, tum therapeutica egregie aestimavit.

Claudius Galenus (r), vir, ingenio cui ac eruditione parem medicorum aevi antiquioris neminem invenimus, scholae quidem nullius sectator, auctoritatem potius omnium evertens,

(r) Cl. Galeni Opera, edid. Chartier. Paris 1679.

tamen theoriae Platonis de elementis corporum in rebus pathologicis quodam modo annuebat, quam cum principiis Peripatheticorum in systemate suo mixtam reperimus. Inter morbum distinguit et passionem. Morbi sub nomine conditionem corporis intelligit, quae functiones ejus laeduntur; passionis autem sub vocabulo, motus denotat, qui e functione laesa oriuntur. Symptomata vocat phaenomena omnia, sensibus medici aut aegroti adprehensibilia; id denique, quod impetu suo conditionem functiones laedentem gignit, Galeno jubente causam morbi habeto. Morbi materiei e relatione elementorum abnormi inter se proficiscuntur, et dyscrasiae Galeno audiunt; vitia formae tum in quantitate, tum in structura, tum in numero, tum in situ et directione posita sunt. Functiones laesae, corporis mutata conditio sensibus adprehensibilis (signa nostra e habitu deprompta), excreta denique quantitate et qualitate avia, phaenomena constituunt, quibus morbus cognoscitur. Doctrina Galeni de causis remotis et proximis, praedisponentibus et occasionalibus a principiis pathologicis recentiorum non valde distat. Causas praedisponentes semper in conditione humorum quantitate aut mixtione

aberrantium ponit, et quoad quantitatem sanguinis morbiferam abundantiam absolute talem (plethoram quoad vasa), I aut relativam modo (plethora quoad vires) adesse contendit. Corruptionem humorum quamlibet putredinem vocat, et ortum ejus, ac physica monstratum, e vi caloris in humores stagnantes explicat. Febriles omnes excepta una, nimirum ephemera, e putredine oriri exhibet, quam theoriam Sellé et alii medicorum recentissimorum secuti sunt. Causa intermittens quotidiana ex abundantia mucii secreti, tertiana e bile flava, quartanae eaque omnium pertinacissimae e bile atra proficiscitur; quae Galeni opiniones medicis etiam hodiernis non displicuerunt, inter quos Boerhaavius, Fr. Hoffmannus etc., nominasse sufficit. Experientia imo genuina haec Archiatri Pergamensis commenta affirmat. "Inflammationes ingeniose in phlegmonodeam, erysipelatodem, quin oedematosam dividit, quae cum nosologia nostrati conveniunt, etsi puenatodem Galeni, anatomé edocti, omnino rejicimus. Qualis denique hoc viro in cognoscendis morbis eorumque mutationibus et exitibus praefagiendis fuit praestantia, scripta ejus aliorumque testimonia exhibent.

Medici Arabum, si forsan descriptiones morborum nonnullorum cutaneorum, v. c. leprae, variolarum, morbillorum etc., exciperes, de re pathologica nulla ratione sunt meriti. Hippocratis enim Galenique sectatores, horum solum doctrinas maxime amplexi sunt eaque insuper tot quaestionibus logicis, tot fabulis, superstitionibus et mendaciis macularunt, ut in tam vastis amplisque eorum voluminibus nihil magis, quam verae morborum causarumque imagines desiderentur.

Par ratio est medicorum latino-barbarorum, qui a seculo decimo tertio usque ad sextum artem scriptis tradere sunt conati; quibus nempe satis visum est, vestigia premere antecessorum, praecipue quidem Arabum. Theophrastus Paracelsus, jactator, fastosus, Theosophus, Mysticista, dignus, ut philosophia seculi decimi noni, quae cognomine naturae (Naturphilosophie) impie abutitur, inter sodales illum numerasset, cum principatum in chemia tempore suo obtinuit; principia modo hujus doctrinae in pathologiam convertit. Sal enim, Sulphur, Mercurius, et potissimum Tartarus, si

in mixtione materiei organicae abundarent, humoresve inopia ejus premerentur, unicae illi morborum omnium causae esse videntur. Quae quidem chemica morborum causae explicandi ratio, cum coloribus non destituitur, quibus incautos rerum arbitros facile fallere potest, pluribus reperit fautores, quorum inter numerum Tachenium, Franciscum de le Boë Sylvium, quin Ettmüllerum ipsum, nominasse liceat.

Seculum demum post decimum quintum pathologia tam diu neglecta opere Foresti (s), Baglivii (t), Sydenhami (u), Stahlī (v), Ballonii (x), secundum methodum Hippocraticam renovari cepit. Qui diligentissimi post Hippocratem observatores naturaeque historiographi jure merentur, ut praedicemus de omni-

(s) Observation. et curation. medicinal. Libri XXXII. Fcft. 1602. Fol. Observation. et curation. chirurgicar. Libri IX. Fcft. 1610. Fol.

(t) Opera omnia medico-practica. Norimb. 1751. 4.

(u) Praxis medica experimentalis. Lips. 1695.

(v) Theoria medica vera Physiologiam et Pathologiam sistens. edid. Juncker. Hal. 1708. 1737. 4.

(x) Epidemiorum et Ephemerid. Libri duo edid. Thevart. Paris 1640. 4.

bus, quod Baglivius de Foresto laudat: „viros fuisse experientissimos et practicos, ob id „potissimum celebres, quia tota vita cum natura cohabitarunt et, ab ejus oraculo pendent, „observationes morborum et debita praecpta iisdem curandis necessaria et opportuna, „patientissime conflareunt.“

Hermannus Boerhave, vir immortalis, quod Sydenhamius, annuente praeclari ingenio incepit, reformationem pathologiae rationalem egregie perfecit, systema Silvii evertit atque doctrinam de genesi morborum eorumque causis et signis, quae vanis hucusque modo nominibus claruit, ad dignitatem scientiae provexit (y).

Praeceptoris amici vestigia secutus, Gaubius, ratione respectus ad motus naturae in morbis, pathologiam Boerhavi reddidit perfectiorem (z).

Ambo in eo conveniunt, ut, non neglectis humorum vitiiis, ad ea, quae solidorum mutata

(y) Institutiones medicae. L. Batav. 1707. Aphorism. de cognoscend. et curand. morb. L. Batav. 1708.

(z) Institutiones Pathologiae medicinal. L. B. 1781.

vis in morborum formatione valeat, animum attendant. Pathologiae autem humorum maximi sunt defensores. Quia Gaubio laus saepe tribuenda est, ut illi praestantior atque diligentior nemo notionem morbi dederit. In sua videlicet definitione, quae §§. 34. 35. 41 et 42. libri citati amplectitur; primus distinxit inter deviationes virium ac formae, neque minus differentiam, quae inter morbum ipsum et valetudinem adversam (Uebelbelindén) intercedit, graphice exhibuit.

Fridericus Hoffmann (a), etsi theoriae physico-mechanicae promotor celeberrimus; praxin tamen respectui virium vitalium, quae partibus organismi solidis insunt, superstruxit.

Stahlius, de quo iam supra locuti sumus, omnes morborum causas in perversa solidorum mentisque actione quaerendas esse jubet.

Doctrinam Boerhavii secuti sunt de

(a) Opera omnia physico-medica. Genev. 1748. Fol. Confer. Cohausen de differentia inter Hoffmann. doctrinam physico-medicae et Stahlii medico-organicae. Frest. 1746. 8.

Gorter, (b), Kaaw Boerhave (c), van Svieten (d) et de Haen (e), Hoffmanni de Büchner (f), Werlhoff (g), et Eller (h); Stahlil denique Joan. Juncker (i) et medici Vratislavienses (k).

Nec omittendi sunt, qui laudentur, scriptores in anatomia practica celeberrimi, cum dissectionibus cadaverum in eruendis morborum causis magui fecerunt; etsi, uti infra monere decrevimus, ex iis, quae sectiones demortuorum sensibus offerunt, medici plerumque multo

(b) Compendium medicinae. Frest. et Lips. 1749. 4. Ejust. Praxis medicae Systema. Frest. et Lips. 1753. 4.

(c) Perspiratio dicta Hippocrati. Leid. 1753. Imperium faciens dictum Hippocrati. Leid. 1745.

(d) Commentar. in Boerhavii aphorism. L. Batav. 1745 squ.

(e) Praelection. in Boerhav. institution. patholog. Vin-
dob. 8.

(f) Fundament. patholog. general. et special. Hal. 1747.

(g) Opera omn. edid. Wichmann. Hannov. 1776. 4.

(h) Observation. de cognoscend. et curand. morb. Regiomont. 1762. 8.

(i) Conspect. Therap. general. Hal. 1730.

(k) Histor. morbor. Vratislaviens. Lausann. 1746. Praefat. Hal. 4.

nimis arbitrarie de causis morborum et mortis argumentati sunt. Principes scriptorum de re anatomico-practica, s. pathologica, ne catalogum omnium adferam, habemus Theophilum Bonetum (l), Frid. Ruyschium (m) et Joann. Baptist. Morgagni (n), qui omnem hujus rei fundum occupaverunt multamque promeruerunt famam.

Quae ad historiam pathologiae et anatomes pathologicae recentissimorum temporum pertinent, cum omnibus satis sunt nota, silentio praeterimus tum ob temporis, quod ad laborem istum abituriienti superest, brevitatem, tum ne angustas, quas huic scriptiunculae fortuna parva nostra posuit, limites transcendamus.

Hoc modo addendum esse scimus, quod, pro theoriarum diversitate, quae in pathologia cujuscunque temporis imperium tenebat, modo

(l) Sepulchretum s. anatomia practica. Genev. 1679. Fol.

(m) Observation. anatomic. chirurgic. Centur. Amstell. 1691. 4. Thesaur. anatomic. Amstell. 1721. 4.

(n) De sedibus et causis morbor. per anatom. indagat. Libri V. Ebrodun. 1779. 4.

haec methodus medendi generalis, modo illa medicis fuerit usitatissima. Sic pathologia humoralis ad methodum evacuatoriam invitabat; theoria regnans Sanctorii methodum morbis omnibus accommodavit diaphoreticam; theoria denique Brownii ejusque sectatorum methodi excitantis abusum nostris eheu! temporibus reddidit generalem unicamque medicorum plurimum ancoram.

De adminiculis studii pathologici.

Sunt medici et tempore quolibet fuerunt, qui omnes morbos, sin etiam forma, sede, decursu, duratione et phaenomenologia longe inter se diversissimos, uno tamen eodemque ex fonte promanare arbitrantur. Sic Conrad. Victor. Schneider aegritudinum fere omnium causas ad catarrhos corporis organa instantes redegit. Aliis quivis morbus e bile oriri videbatur. Quodsi res ita se haberet, tunc facilis negotio atque per brevi temporis ambitu, quae ad medicinam faciunt, hauriri possent. Rite verò iam Tulpus (o) filium sacra Apollinis peten-

(o) Observation. medic. Amstell. 1652. in epistola de dicitoria.

temata monet: „Late se pandit, Petro fili, in
 „quo decurris, medicinae campus. — „Amplum
 „enim, ac spatiosum est, in quo navigamus
 „aequor. In illo tot propemodum vada, quot
 „morbi; tam frequentes scopuli, quam scopi.
 „Quoniam periculis siquidem, te satagas subtra-
 „here, incesse erit cursum dirigere per lineas,
 „a peritissimis paliuris notatas. Alias fluctua-
 „bis incertus, instar oberrantis alicujus Eripi;
 „erisque non tam in re, quam specie, et ad so-
 „lam pompam eruditus. Nihil enim potest esse
 „solidum, cui non comprobatur usus, qui om-
 „nium magistrorum superat praecepta. Qui
 „fructuosa, non qui multa scit, sapit. Noli ita-
 „que pede nimis libero vagari, sed coërce stu-
 „diorum cursum intra orbitam rationis et usus.“

Studium potius pathologiae genuinum et in
 praxi medica proficuum in eo positum est, ut
 medicus, theoria rationali, ingenii acie, iudicio
 solidiori, attentione indefessa rerumque addis-
 cendarum amore instructus, totum ab initio
 morborum omnium decursum, formas, muta-
 tiones phaenomenaque in natura ipsa observet,
 non vero depictiones eorum praeceptoris e ca-
 thedra, aut e scriniis librorum desumat; ut

unam eandemque morbi formam vario sub
 coelo, variis in aetatibus, vario in sexu, aliis
 sub vitae internis externisque conditionibus, imo
 in uno eodemque quidem homine, sed variis in
 temporibus, animadvertat; ut quae permanentia
 sunt, quae transeuntia phaenomena alta mente
 reponat; ut morbos forma externa sibi invicem
 similes diligenter comparet et ingeniose eruere
 studeat, nonne hac re aliave alter ab altero di-
 scedat; ut denique observationem talem omni
 hypothesium ac autoritatum praedilectione libe-
 ratus adgrediatur.

Quatuor potissimum sunt adminicula, ad
 notionem intuitivam et fructuosam de rebus pa-
 thologicis acquirendam: sectiones patho-
 logicae cadaverum; collectiones parti-
 tium corporis morbosarum; analyses
 chemicae partium organicarum flui-
 darum et solidarum, quae a morbis
 corruptae sunt, sicut et materiarum,
 quae in morbis excerpuntur; accessus
 frequens ad lectos aegrotantium, po-
 tissimum medico experto et sagaci
 duce. Liceat nunc, in dignitatem atque utili-
 tatem horum fontium inquiramus, et, quae

forte de uno alteroque monenda sint, singulatum proferamus.

I. Sectiones cadaverum pathologicae.

De pretio sectionis cadaverum in causis morborum indagandis praekonem iam habemus Hippocratem, etsi modo animalium corpora cultro subjecit. „Quod autem fiat etiam a tuberculis aqua inter cutem, testimonium habet et in bove, et in cae, et in sue. In his enim, quadrupedibus maxime fiunt tubercula in pulmone, quae aquam habent. Si enim disseueris, citissime cognoveris. Fluet enim aqua. Videntur autem talia multo magis in homine fieri, quam in pecoribus, quando etiam morbosiore diacta utimur (p).“

Commendant praeterea anatonem hanc pathologicam diversi scriptores medici, quasi ad causas morborum eruendas valde utilem; nec ego eam omnino negligendam puto, quoad diversa olim abstrusiora medicos erudientem. Sed non raro quae ad alium morbum e longo iam tempore perpeissum spectant, alteri, quo

(p) De internis affectibus. XXV.

ante obitum affectus erat aeger, adscribuntur. Sana equidem ratio concedere jubet, nos lustrationibus his aliquando mortis causam experiri, non tamen causam morbi obitum antecedentis, cujus medelam medicus nihilominus curare debebat. Neque mortis causam genuinam et proximam hoc labore et investigatione addiscimus, dubii aliquando ab eiusmodi sectionibus recedentes, numne visum productum potius morbosum sit, quam morbi primarii causa? an ascites e. g. viscera induravit, eroserit, corripuerit? aut an laesiones harum partium hydropi ansam praestiterint? Polypis infarctos offendimus cordis ventriculos, determinare tamen haesitamus, an hi, an asthma spasticum, an hydrops superveniens aegrotum suffocarint? Rationibus et experimentis non absimilibus ductus Cl. Albinus inquit: „Mirabere ergo, cur corpore dissecto et manibus ita explicato, ut partes omnes oculis pateant, nullam saepius mortis causam inveniamus, in his enim tam parvis tam nullis maxima vis est. Sed haec et infinita alia sunt, quae oculatas prosectorum manus subterfugiunt; infinita ergo in corpore exstant, quae non cognoscimus; infinita sunt, quae artis nostrae perfectioni

obstant et posteritati reservantur (q).⁶⁶ Altera insuper ratio, ut nihil, quod ad causas morbi praegressi phaenomenis vehementissimis et atrocioribus insignis, referri, aut exitum funestum declarare posset, corpore dissecto adspiciatur, eo erit desumenda, quod morbi vitium, nisi mixtionem materiae subtilissimae ponere mallet, secans in sensu non cadat. Inq. scrutatoris ipsius culpa abscondita saepius remanent, detegi quae possent; cum, apertis corporis cavitatibus atque organis eorum obiter modo inspectis, praesertim si visceris cujusdam, degeneratio notabilis, vel aliud phaenomenon morbosum primo intuitu adprehensibile occurreret; cultrum dimittat, de diligentiori glandularum, vasorum, nervorumve disquisitioni, eorum textura, directione, cohaesione, volumine, colore, humorumve mixtione minime curans. Quae partes singulae, si modo examine accuratiori dignae aestimarentur, nova forte augmenta notionibus nostris auferrent pathologicis. Quare semper nobis fuit in desideriis, ut in demortuis dissectioni anatomico-pathologi-

⁶⁶ (q) Oratio de incrementi et statu art. medic. Saeculo XVII pag. 50.

caae subjectis, vasa injicerentur. Ne fallax vero iudicium ex ejusmodi dissectionibus desumatur, opus erit, ut diligenter et attente examinemus, quatenam intercedat differentia inter texturam, colorem, dilatationem seu laxitatem, expansibilitatem, crassitudinem, volumen vasorum, nervorum, glandularumque, inter stricturam, laxitatem et contenta telae cellulosaе aliarumque partium, quae praegresso morbo plus minus fuerint adfectae, si cum iisdem partibus comparamus, quae morbo eodem certissime non sunt correptae. Monendum esse vix credimus, ut nexus causalis inter eas, quae in cadavere repertae sunt formas aut mixtiones partium devias et morbum praegressum iure opinari nequeat, nisi causa eadem vicibus repetitis eadem quoque phaenomena cultro inquirentis offerat.

II. Collectiones partium corporis morbosarum.

E pluralitate organorum vi morbi a forma sua, magnitudine, cohaesione, mixtione e. s. p. aberrantium, sic ut e concrementis, quae tum e materia ipsa organica, tum ex aliena praeter sanitatis leges conflata sunt, cum modo corpore resecto colliguntur, musca constant, quae pa-

thologica habemus. Verum quidem est, ut ad instructionem intuitivam contribuant, etsi ad spectu formarum ejusmodi morbosarum in corporibus adhuc viventibus multo clariorem profecto tibi parabis cognitionem. Quae vero occasio cum quotidie non occurrit, laudato nunc adminiculo eris contentus. Quo magis collectiones ejusmodi sequentibus nituntur conditionibus, eo fructuosiores et ad instructionem aptiores reperiuntur.

1) *Methodo systematica, s. secundum ordinem anatomicum et aetiologicum, praeparata haec in scriniis sunt servanda et exponenda. Ut exemplis rem illustremur, epitomen liceat schematis offerre.*

1) *Ossa morbosa.*

A. *Ossa capitis.*

a) *carie correpta:*

aa) *venerea,*

bb) *cancrosa,*

cc) *scrophulosa,*

dd) *exanthematica e. s. p. Sic varia*

destructionis forma, magnitudo,

conditionesve aliae, quae causa singulari qualicumque producuntur, cognitioni optime patent.

b) *Vi externa fracta:*

aa) *Globo sclopetario,*

bb) *Instrumento secante,*

cc) *Lapsu,*

dd) *Ossa trepano perforata et s. p. Insuper haec relatione aetatis, constitutionis sexus ordinanda sunt, ut modificationes relativae nisus formativi in producendo callo rite cognoscantur.*

c) *Forma sua aberrantia.*

aa) *Natu monstrosa, uti in monstris ipsis et cretinis.*

bb) *Morbis alienata.*

a) *Volumine e. g. Hydrocephalus, topi.*

β) *Cohaesione. Suturae deletae, fonticuli in adulto aperti.*

Et sic porro.

B. *Vertebrae.*

a) *Cariosae,*

aa) *E vitio scrophuloso, rachitico.*

b) Ex inflammatione meningum etc.

b) Bifidae.

c) Directione morbosae. Species
variae gibbositatis etc.

d) Numero. e. g. sex modo vertebrae
colli, uti in habitu apoplectico con-
nato interdum reperiuntur.

C. Extremitatum ossa.

a) Fracta.

b) Curvata et tumida.

c) Anchylosica.

d) Friabilia.

e) Mollia. et sic porro.

b) Vasa morbosa.

A. Dilatatione.

a) Aneurismatica.

b) Varicosa.

c) Morbis angustata, aut collapsa
et parietibus canalibus con-
cretis; infarcta, polypis oc-
clusa.

B. Structura et mixtione.

a) Cartilaginosa et ossificata.

b) Friabilia.

c) Hac illave membrana, aut val-
vulis destituta.

d) Atresia stipata.

C. Ortu et exitu devia. *)

e. s. p.

Ne vero limites exempli transgrediamur,
ea, quae schematis instar adlegavimus, lecturis
sufficiant.

2) Utilitatis gradus, quam discen-
tes tali e collectione capiunt, eo
certe mirum augentur in modum, si
historias morborum, quantum modo
fieri potest, omnium, qui praeparata
haec museo foenerarunt, simul assere-
rentur. In desiderio est, ut descriptiones
horum morborum nec unicum reticerent mo-
mentum, quod ad clariorem de mali causis,
evolutione, progressu conferre posset notio-
nem. Medicamentorum ipsa enumeratio, qui-
bus in curando hoc morbo utebatur, magni ad

*) Exempla vitii hujus fere innumerabilia eaque scitu dig-
nissima exstant in Voigtel Handb. der pathologisch.
Anatomie. Halle 1804. 11 Bd. S. 442. ff.

cognitionem atque iudicium rei pathologicum erit ponderis. In museo pathologico Dorpatensi, cui cl. Balk, praceptor venerandus praest, duo servantur exemplaria, e cera ad naturam colorata et magnitudine naturali efficta, capitis feminini, quod scirrho glandulae parotidis in cancrum apertum abiente adfectum et cultro chirurgico feliciter sanatum fuit. Alter imaginem morbi in stadio offert, quo scirrhus in cancrum apertum transire vix incepit; alter vero imaginem fungi cancrosi, longe lateque diffusi et ad magnitudinem enormem accreti refert in eo ipso momento, quo chirurgus extirpationem ejus instituere vellit. Quam fructuosae ne edocentes ejusmodi sint effigies coloratae e variis morborum stadiis depromptae, cum morbus, qui simulatur iis, juveni studioso durante tempore academico in institutis clinicis non semper occurrit, expositione ulteriori sane non eget. Utinam! de omnibus morbis organicis simulacra talia in museis Universitatum pathologicis exstarent, quod autem plerumque, cum cari pretii sunt, parva redituum academicorum suppellex proli dolor! vetat.

3) Praeparatis pathologicis, quae in spiritu vini servantur, delineatio

diligenter vivis coloribus ad naturam depicta erit addenda. Spiritus vini enim vitæ color harum partium naturalis, et quo non raro clarior mali diagnosi pendet, unicum voluimine spiritum in modum mutatur. Spiritu eam ob rationem prius decolere et pellucido, non flavescere et limido, ut interdum fieri solet, utendum est. Insuper vidimus praeparata pathologica (retinenda est, quo loco?) in vasis vitreis viridibus oclusa. In uno eodemque vase vitreo semper praeparatum modo unicum servetur. Si enim plura eo continentur, distinte fructuoseque vase ocluso intueri nequeunt; si vero vas saepius aperitur, et praeparata ipsa facile laeduntur, et spiritus vini copia perit. Vas insuper pro servatorum magnitudine satis sit altum et amplum, ut praeparatum filo suspensum in medio spiritus conservatoris fluctuet et eo melius omni a parte contemplari possit. Hac etiam in re, ni fallimur, huc peccatur et illuc. Nisi in ipsa conjunctione s. cohaesione abnormi partis adfectae cum

adjacentibus character pathologicus pateat, praeparatum a quavis parte aliena, praesertim tela cellulosa, omnino liberatum sit, desideramus. Tali solum administratione clara et perfecta notio de structura partium morbosa acquiri potest.

6) Praeparata etiam sicca a pulvere et humiditate, diligenter defendenda sunt, ne iis corripuntur. Hoc potissimum a partibus musculosis, tendinosis, membranosis, nervosis valet. Si campanis vitreis tegi nequeunt, saltem vernice obducantur.

7) Ad morborum cutaneorum diagnosis et aetiologiam, potissimum vero ad exanthematicorum, magnifaciet, si cutis eorum, qui durantibus his morbis sunt demortui, injicitur. Nobis quidem persuasum est, ut in omnibus morbis exanthematicis, tam febrilibus, quam chronicis, vasa cutis capillaria non quoad diametrum modo normalem, sed quoad parietum, etiam suorum tonum mutata sint. An res ita se habeat, nec ne, injectionibus propositis investigare, operae saltem pretium erit.

Collectio, quae organa modo cavitatum internorum indurata, ossificata aut alia ratione a forma et structura avia, nec non steatomata; lithiasis etc. diversae magnitudinis amplectitur absque morborum, quorum causas fuerunt aut sequelas, historia pathologica therapeutica, callamo sagaci, accuratiori et fideli excepta — ejusmodi collectiones nobis, sit venia verbo, taberna potius raritatibus in usum curiosorum impleta, quam apparatus ad institutionem literariam esse videtur.

III. Analyses chemicae partium organicarum fluidarum et solidarum, quae a morbis corruptae sunt, sic et materialium, quae in morbis excernuntur.

Medicorum nostratum fore neminem non dubitamus, quin concedat et ipse de eo convictus sit, Physices atque Chemiae reformationem nuperrimam omnibus fere scientiis ac artibus, potissimum vero medicinae, non incrementi solum, sed, quod multo magis aestimamus, errorum etiam vetustate sua firmatorum detectionem et emendationem attulisse. Attamen, quod de sectionibus pathologicis iam supra monui-

mus; in analyses partium corporis nostri morbidarum chemicas non minus apte quadrat. Cardio rei duobus quippe enim in erroribus versatur: ut ut ex iis, quae examen chemicum partium ex vita excessarum quoad mixtionem offerret praesentem, ad eam concludamus mixtionem, quam sibi servarent, cum corpori vivido adhuc insiderent; tum ut neglecta attentione et studio curatiori analysen ipsam adgrediamur. Minime igitur veremur, ne lectoris displiceret, si cautelas quasdam commendare conamus, quae iudicium ex analysi chemica, has secundum regulas instituta, depromptum firmare atque ab erroribus servare forte valerent.

1) Quod operatione chemiae inquirentis vi ignis aut reagentium artificiose componitur (Produkt); non pro parte constitutiva erit habenda, quam corpus analysi subjectum in vitam servavit, quamque nunc ex aliis separavimus (Edukt).

2) Diligentia investigandum erit maxima; nonne pars constitutiva quaedam durante operatione docimastica evanuerit aut avolaverit? quae nam? et quae in quantitate?

3) Potissimum ad materias gasiformes respicias, quae in pathogenia et aetiologia maximi sunt ponderis ideoque acerrima attentione dignissima.

4) Imperium, quod corpus animatum in procreanda, servanda et mutanda materiei organicae mixtione exercet, rite semper erit computandum. Quae extra corpus in mixtione materiei organicae deprehenduntur abnormitates, non raro eo primum tempore in illa ortae sunt, ex quo materies haec e corpore vi vitali dotata detrusa, aut ultima vitae scintilla in organismo ipso extincta fuit. Quo, ni fallimur, respectu ad veram rei dijudicationem magni faciet, si eandem materiam, e vividis animalibus in statu sano et morbo depromptam, examini chemico subiceremus.

5) Nec vilipendendum est, accuratius observasse, quoniam sub gradu scalae thermometricae ac barometricae productum hoc vel illud ex analysi chemica exiit; hoc apparuit phaenomenon, vel aliud? Quae observationes tali ratione institutae iis comparandae erunt mutationibus, quas partes analysi subjectae eadem sub

scala barometrica et thermometrica in corpore aegrotantis adhuc vivido patiuntur.

6) Denique respiciatur ad quantitatem relativam Oxygenii, Hydrogenii, Carbonici et Azoti, quam materies organica morbosa examini docimastico submissa offert, quacum quantitas Oxygenii, Hydrogenii, Carbonici et Azoti debent aequiparari, quae copiae aequali materialium earundem in statu sano inest,

IV. Accessus frequens ad lectos aegrotantium, potissimum medico experto duce.

Meminimus audivisse, ut Joannes Petrus Frank, vir certe eruditione, ingenii acie, experientia et mentis humanae cognitione profunda, inter principes medicorum jure numerandus, filios suos studio medicinae utriusque dicatos, simulac modo Universitatem adgressi atque altioribus doctrinis philosophicis imbuti fuerint, ad lectos aegrotantium duxerit, illisque primam adolescentiam obtulerit occasionem, morborum formas aut imagines ipsa a natura depictas videndi mentique suae imprimendi. Fides famaе hujus augetur verbis viri laudati, quas ad

filium Josephum, cum laurea doctorali illum cingeret, direxisse ipse fatetur (r). Experientia propria de magna sumus utilitate edocti, quam juvenis arti machaonicae incumbens ex aditu ad nosocomia, potissimum vero ad instituta clinica capit. Imago morbi, cujus notionem e cathedra adumbratam accipimus, facile iterum deletur; aut in recordatione et imaginatione saltem haud perspicua remanet; vividissimis contra coloribus depicta, clara notione accepta et permanenti impressione fixa, intuitu naturae ipsius imago ista nobis propinatur. Descriptiones praeterea morborum, quas e compendiis Therapiae specialis, vel ex ore docentium haurimus, externam mali formam modo talem nobis delineant, qualis apparet, si nulla alterius aegritudinis cum illo complicatio locum habet. Hac vero sub specie in natura ipsa rarissime modo deprehenditur; visus generii stationarii, epidemici, endemici, constitutionis annuae, sexus, vitae generis, aliaeque potentiae magni sunt ponderis in mutanda morborum phaeno-

(r) Jos. Frank Heilart in der klinisch. Anstalt zu Pavia, mit einer Vorrede von J. P. Frank. Uebersetzt von Schäfer. Wien, 1797. Vorrede Seite 11 ff.

nienologia, quae omnia diagnosin medici nondum sat experti, fallacem facile reddunt, saltem vero ambiguam. Quid igitur illi exoptatius ac fructuosius evenire potest, quam occasio quoti-
diana; sortum morborum, progressum, mutationes exitusque observandi, quae simul de omnibus, quae dubia illi videntur, a viris doctissimis et experientissimis edocetur, neque non ad contemplationem diligentiorum phaenomenorum adducitur, quae causas latentes indicant, aut morbum longe a praesenti alienum insidiosamente iuvatur. Quo citius juvenis adibit clinica, eo major casuum diversorum multitudo, quam intueatur, in spatio curriculi academici obvia illi venibit. Institutum enim clinicum, copiam lectulorum non amplectitur et pro scopo suo amplecti etiam non debet, cum horae unicae spatium, quotidie ad hoc genus institutionis mere practicae plerumque modum destinatum, non patitur, ut tantum temporis in singulis aegrotantium multorum lecto moremur, quo egeamus, ut omnia, quae monenda sunt aut observanda, a medico praeceptore demonstrantur. In nosocomiis sexaginta et quod excurrit aegroti eodem tempore absoluntur, et medicus dirigens uno saepius verbo denotat, adhibendum

quod sit, rationes autem omnino reticens, quae ex causa hoc medicamine et non alio opus sit aut quae memorata digna in morbo istoque forte nunc occurrant. Prodest igitur nosocomiorum adgressus modo iis, qui sibi aut didactos esse jam didicerunt, duce alieno amplius minime egentes. Neque haec, quam attalinus, (unica est praenosocomiis) clinicorum praeferebat; alias, quae ad studium potissimum pathologiae faciunt, hoc adduxisse loco iuvabit.

1) Ut morbo quolibet cito, et tam paucis, quantum modo fieri potest, subitibus medeat, primus est scopus nosocomiorum: clinico autem institutio rationalis, non medela accelerata; scopi instar valet. Nec ejus interest, an moscho utetur, Castoreo, naphtha, China, Ginnamomo; vino ad bibendum et epithemata et quae sunt reliqua medicamina caro pretio exstantia; cum liceat periclitari, quanti ars adhuc valeat in morbis atrocissimis, aut pertinacissimis devictandis.

2) In nosocomiis, nisi sui ipsius causa, medici dirigentes, quorum per paucis modo artis et experientiarum genuinarum incrementum ar-

ridet, experimenta cum methodis medendi novis novisque remediis non faciunt; quae institutionis publicae causa diligenter ut examinentur eorumque utilitas rite censeatur, officium directoris clinici jubet.

3) Aut nunquam, aut paucis et egenis verbis phaenomenologia et decursus morbi in diariis nosocomiorum describitur, aut, quod plerique moris est, praeter nomen morbi et aegroti annotationes posteriores omnino desunt; cum institutis clinicis diaria habentur, diligenter conscriptas et rationaliter dijudicatas morborum historias continentia.

4) Observationes ineteorologicae, quae ad notionem pathogeniae veram tanti faciunt, nunquam, aut perquam raro instituuntur in nosocomiis, quarum contra respectus diligentissimus in clinico semper habetur.

5) Respicimus in clinicis in morbis dijudicandis et curandis relationem sexus, aetatis, vitae generis, parentum, genii stationarii, epidemici et annui, consuetudinis, constitutionis et idiosyncrasiae individualis — quorum respectum

curatioem in nosocomiis, quae aegrotorum centuriis implentur, curta temporis suppellex omnino vetat.

6) In nosocomiis morbi ut plurimum omnes complicati apparent: ob peiorem aëris conditionem (quam in tanta aegrotorum multitudine omnibus cum adminiculis funditus corrigere non possumus); ob congregationem aegrotantium a morbis naturae ac formae diversissimae correptorum in uno eodemque cubiculo, quo fit, ut, qui pneumonia catarrhali laboret, typho aut dysenteria nosocomiali adfectum proximum habeat socium; ob diaetae singulis sorte decumbentibus necessariae defectum e. s. p. Omnibus his vitiis instituta clinica non laborant.

7) Multitudo aegrotantium nosocomialium impedit, quo minus singulis pro gradu morbi et conditionibus individualibus singula etiam medicamina praescriberentur, et, secundum medici jussum, horis destinatis religiose porrigerentur.

8) Morbi, phaenomenis quibusdam sibi similes, natura vero perquam diversi, diagnoses causae omni, cum otio ac diligentia in clinico

possunt comparari; quod in nosocomiis aut nunquam fit, aut perquam raro et tunc semel modo et sermone fugitivo.

9) Quoad prognosin et indicationes ingeniose et provide formandas medici nosocomia diligentes minime curant, nec, ob paucitatem, curare possunt.

10) Stadium convalescentiae, e quo tot nova morborum consecutorum semina germinant, in nosocomiis plerique multo vilius habetur, ac rei ad pathologiam dignitas postulat.

11) Dissectiones cadaverum pathologicae in nosocomiis aut omnino negliguntur, aut tam fugaci instituuntur, ut nil certi ex eis de sumi possit, sicuti iam supra demonstravimus.

12) Juvantia et nocentia, quae in eruendo vero morborum complicatorum caractere pathologico tanti sunt ponderis, tum ob temporis defectum, tum ob defectum observatoris singularis bene instituti, rarissime modo, et tunc modo imperfecte adhibentur.

Ex omnibus, quae hucusque a nobis allata sunt, evidenter elucescit, quanta sit in addis-

enda Pathologia clinicorum prae nosocomiis praestantia. Attamen in votis esset, ut Professori, qui institutionem clinico-practicam moderatur, summa omnium nosocomiorum cura esset mandata; quo magis illi liceret, eas, quibus ad institutionem nunc utitur morborum formas, et nosocomiis desumere ad in clinicum colligare; hoc contra aegrotos, quorum aspectus discentibus scitu et observatione dignum nil amplius offerret, in nosocomia remittere. Cui desiderio autem ea tantum sub conditione satisfaciendum erit, si universitas in urbe magna esset condita, in qua videlicet nosocomia majora modo reperiantur.

Antequam his, quae de adhaerentibus studi pathologici erant proponenda, suum imponamus, addere liceat, quod gravi ponderis esse nobis videtur. Et ut fons omnium notionum pathologicarum vere utilium certarumque in observatione diligenti et genuina consistat. Cogitanti nunc quaestio occurrit: quaeenam sint observationis genuinae criteria et condiciones? cui paucis respondere verbis ad rem nostram facere consulimus. Observatio genuina sequentibus quidem nititur praeceptis:

1) Res una eademque saepius observetur et diversis sub relationibus. Si modo patebit, quatenam ejus sint causae et phaenomena essentialia, quatenam e contrario accidentalia. Hae enim adesse possunt, aut abesse, ita ut rei natura ratione nulla eo mutetur; illae vero perpetui sunt rei observandae comites, oriuntur cum ea et pereunt.

2) Nec circumstantiarum minimarum, quae objectum observationis praecedebant, illud concomitabant, aut secutae sunt, aestimatio negligatur. Tali enim modo ratiocinio ingeniosus nexus interdum causalis elicitur, qui oculo fugitivo latuit.

3) Observator omni opinione praconcepta liberatus ad rem accedat. Qua conditione neglecta animadvertet ea, quae hypotesi suae arident; contraria spernet, aut fallens interpretabitur.

4) Vitentur religiose explicationes omnes, evidentissime et immediate ex re ipsa non redundantes, aut legibus

naturae constantibus superstructae, donec nobis concessa sit opportunitas, multitudinem observationum de uno eodemque phaenomeno institutarum diligenter et acute sibi invicem comparandi.

5) Ab omni speculatione omnino abstinendum est. En! quid valeant in pathologia rationali philosophi recentissimi, qui, ut pudenda sua infucent, nomine „naturae“ satis impie abutuntur.

Methodum vere rationalem et utilem, secundum quam studium Pathologiae erit tractandum, nobis censoribus optime exposuit cl. Wilnans (s). Neque minus pathologia utilitatis ex eo capiet, si, desiderante cl. Vogel, cum physiologia conjungeretur, quibus votis cl. Pfaff (t) satisfecit.

(s) Reil Archiv für die Physiolog. III. Bd. 2. St. Seite 285 ff.

(t) Grundriss einer allgemein. Physiologie und Patholog. Kopenhagen. 1801.

T h e s e s .

1.

Omnis evolutionis processus morbos esse, nego.

2.

Non e phaenomenis solum, sed e potentiis etiam nocentibus, vera prodit morbi diagnosis.

3.

Medicus aequè est naturae magister, quam minister.

4.

Ad sphacelum a causa interna sola manus chirurgica frustra adhibetur.

5.

In morbis infantum diaeta medico majoris est momenti, quam medicamentorum usus.

6.

Aër morborum internorum plurimum causa est.
